



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis**

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1707**

Q. 159. Quid notandum sit circa publicationem resignationum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42600**

quando de Episcopo, quod plus probabilitatis habet, Cap. *Quasium*, de rer. permut. datur illi potestas, ut quando est necessarium, sive, quando postulat magna utilitas pro bono regimine Ecclesie, transferat beneficiatos de una ad aliam Ecclesiam, quod tantum hic fiet per providentiam Episcopi, cujus est spectare commune bonum Ecclesie, & curare, ne plura beneficia sine causa in uno cumulentur, ideoque non requisita voluntate beneficiati potest dicere, *jubeo, ut acceptes hoc beneficium, & illud, quod habes, dimittas. Nec obstat*, quod Episcopus debeat expectare consensum possessoris, ideoque videatur esse confluxus duarum voluntatum & pactio, nam etiam alie leges expectare possunt acceptationem subditorum, & Superiores saepe legem revocant, si subditi ex causa contra legem supplicent, nec tamen ideo sunt pactiones sed leges vel mandata. Deinde licet in beneficialibus omnis pactio apud Ordinarium sit simoniaca, tamen excipitur translatio ab una ad aliam Ecclesiam, sive fiat per modum permutationis, in qua intervenit pactio utriusque beneficiati, sive per modum nude translationis beneficiati, dummodo id ortum ducat a providentia Episcopi, nam si possit transferre personas paciscentes inter se de beneficiis permutandis, etiam poterit pro bono regimine Ecclesie transferre personam, quodammodo paciscendo cum ea, ut primum beneficium dimittat.

*Q. 159. Quid notandum circa publicationem resignationum. R. Seqq.*

§. I. Per Constit. 87. *Greg. XIII. Humano vix*, 1067 datam nonis Jan. 1583. debent resignationes publicari. Nec contra eam Constit. obtendi potest, quod non fuerit publicata aut acceptata in partibus, nam sufficit esse publicatam Romae, & re ipsa usu satis recepta

cepta est ubique, *Paris. Leur.* p. 3. q. 759. Vide etiam dicta l. 1. n. 579. . Finis autem dictæ Const. est, 1. ut tollantur fictæ resignationes. 2. Ne resignantes remaneant in beneficiis & exerceant actus invalidos jurisdictionis. 3. Ne decimæ aliaque solvantur resignantibus, quæ postea iterum petantur à resignatariis. 4. Ne ordinarii collatores deludantur, nunquam enim scirent, quis sit verus possessor, aut cujus morte vacaturum esset beneficium. 5. Ne inducatur successio hæreditaria, dum vivens vult manere in beneficio, & interim disposuit, quis sit suus successor: unde quia *Constit.* illa est ad obviandum tot fraudibus & incommodis, *Paris. & Leur.* q. 761. censent esse favorabilem.

1068 §. II. Sub hanc *Constit.* cadunt publicationes quorumcunque beneficiorum, etiam reservatorum, & eorum, quæ jure devoluto conferuntur, etiam commendarum, etiam post resignationem unitorum alteri beneficio vel pio loco, etiam hospitalium, saltem eorum, quæ dantur in titulum, Vide *Leur.* q. 762. & seqq. Similiter publicari debere cessiones litis beneficalis & jurium quorumcunque docent *Paris. Az. Chok. Leur.* q. 768., Beneficia tamen resignata, quæ Romæ in Consistorio conferuntur, non publicantur, uti nec Coadjutoria cum futura successione. Vide *Leur.* q. 763. 767.

1069 §. III. Omnes resignatarii obligantur hac *Constit.*, etiam Cardinales, quicumque Officiales Papæ, exempti; minores, cum quibus dispensatum est: etiam secundus resignatarius, quamvis primus publicarit; item illi, qui impetrant beneficia vacantia ob non factam à resignatariis publicationem. Vide *Leur.* q. 770. & seqq.

1070 §. IV. Publicari debent resignationes etiam factæ coram Ordinariis, etiamsi beneficia apud Ordinarios

arios resignata conferantur à Papa. Etiam factæ cum reservatione fructuum, administrationis, pensionis, regressus &c. Etiam factæ in manibus Papæ, licet non in favorem, *Paris. Az. Castrop.* contra *Garc. Lott. Ventrig.* Quod tenet, etiam si successor provideatur in forma dignum: Item etiam si Papa moriatur intra tempus datum ad publicandum. Vide *Leur. q. 774. & seqq.* Si tamen Papa moriatur ante expeditas literas, est justum impedimentum excusans ad tempus, *Paris. Leur. q. 804.* Denique quamvis facta resignatio fuisset nulla, si alter beneficium eo colore obtinuerit, facienda est publicatio, *Garc. Castrop. Ventrig. Leur. q. 782.*: Si tamen beneficium non sit resignatum sed purè dimissum, v. g. per affectationem incompatibilis, qui postea obtinet, non tenetur ad hanc publicationem, *Garc. Barb. Ventrig. Leur. q. 780.*

§. V. Resignationes factæ in Curia de beneficiis 1071  
intra montes, publicari debent intra 6. menses; factæ extra montes, intra 9. menses; factæ apud Ordinarium, si Ordinarius provideat, intra 3. menses; si autem provideat Papa, intra 9. menses, *Az. Garc. Castrop. Leur. q. 785.* Numerantur autem hi menses in resignationibus apud Ordinarios, à die factæ provisionis; in resignationibus apud Papam, à die Datæ, in qua prima supplica à Papa signata est & à Datario recognita, *Paris. Castrop. Ventrig. Leur. q. 786.*; Curritque hoc tempus etiam Minori 14. annis, ignorantibus resignatum sibi esse beneficium, quia decretum irritans ligat etiam ignorantes, *Paris. Az. Barb. Ventrig.*, nisi cum Nav. dicas illum haberi tanquam legitime impeditum. Contendit *Paris.* talem Minorem nequidem esse restituendum in integrum. Vide *Leur. q. 787.* An autem & quando soleat concedi restitutio in integrum, vel prolongatio illius temporis, vide eundem q. 788.

§. VI.

- 1072 §. VI. Hæc publicatio fieri non potest ante expeditionem Litterarum Apostolicarum; fieri autem deberet, antequam capiatur possessio, sed *Ventrig.* testatur id non servari in praxi, hinc *Paris.* dicit posse constitui procuratorem, qui post captam possessionem publicet. Vide *Leur.* q. 789. 790.
- 1073 §. VII. Fieri debet die dominico vel festivo: Putat tamen *Barb.* valere, si fiat non festivo. Item valet, si fiat de nocte sub divinis, *Ventrig.* Item, si post prandium, *Paris. Leur.* q. 791.
- 1074 §. VIII. Fieri debet in Ecclesia ex loco publico: si beneficium non sit in Cathedrali, fieri debet in Cathedrali, & Ecclesia beneficii resignati, aut si in hac fieri non possit, in viciniore parochia. Si beneficium sit in Ecclesia nullius diocesis, fit in sola Ecclesia beneficii: si beneficium sit rurale & populi conventu careat, fit in parochiali. Vide *Leur.* q. 792. & 802. Item fieri debet coram frequente populo ad Missarum solemniam, Concionem vel alia divina conveniente, unde facta in choro coram solis Canonicis est irrita, *Paris. Garc. Ventrig. Leur.* q. 793.
- 1075 §. IX. In actu publicationis debent manibus teneri & exhiberi litteræ resignationis & provisionis in Originali vel in copia authentica, quamvis non sit opus prælegere, *Rebuff. Paris. Castrop.* Sufficeret etiam loco litterarum habere Breve Apostolicum si-ve authenticam scripturam emanatam à Papa, facientem de litteris mentionem, *Rota, Paris.* Vide *Leur.* q. 794. In hac autem publicatione debet clara & intelligibili voce exprimi resignatio & facta gratia, qualitas beneficii, nomina & cognomina resignantis & resignatarii, *Paris. Castrop. Leur.* q. 795. Et exemplar omnium, quæ in publicatione dicta sunt, affigi debet ac permanere saltem uno die ad valvas Ecclesiæ; non est autem opus exemplar illud esse  
authen-

authentizatum, *Garc. Paris. Leur. q. 796.* Et postmodum debet super his omnibus à Notario ad hoc rogato confici instrumentum, (quod ordinariè inscribitur tergo litterarum Apostolicarum) qui testatur etiam de affixione, cum interventu duorum aliorum, qui nominentur, simul testantium de omnibus, *Paris. Leur. q. 797.*

§. X. Si litteræ expeditionis fuerint sub-vel obreptitiæ, & revalidentur per litteras, *perinde valere*, factis est publicari primas litteras, licèt subdiceantur revalidatoriæ, quia *perinde valere* revalidat omnia ab initio cum omnibus inde secutis, *Rota, Rebuff. Paris. apud Leur. q. 798.* 1076

§. XI. Hæc publicatio fieri potest per procuratorem, dummodo speciali mandato sit constitutus, *Paris. Leur. q. 799.* Etiam fieri potest per ipsum resignantem, *Rota, Lott. apud Leur. q. 800.* 1077

§. XII. Fieri debet hæc publicatio, quamvis resignatio & provisio esset aliunde notoria, quia spectat ad formam, *Paris. Lott. Ventrig. Leur. q. 783.* Unde non sufficit aliquid publicationi æquivalens: nec postea juvabit possessio etiam per 10. annos continuata, quia neglectâ publicatione vacat hoc ipso beneficium, nec remanet titulus nequidem coloratus, sine quo non est possessio, *Paris. Az. Castrop.* Si autem resignatarius neglexerit, & novam impetret gratiam, debet hæc nova provisio publicari, *Paris. Leur. q. 801.* 1078

§. XIII. Impedimentum legitimum excusat à publicatione facienda, quia impedito non currit tempus, *Menoch. Bald. Paris.* Et propter impedimentum receditur à forma, *C. Paris. Bursat. Paris.* Et impeditus non dicitur negligens, *Staph. Paris.* Quod autem impedimentum per adhibitam diligentiam removeri non potuerit & immediatè impedierit publicationem. 1079

blicationem, debet ab allegante probari per testes vel conjecturas, vel saltem per iuramentum impediti: quænam autem impedimenta censeantur legitima, explicat *Leur. q. 803. & 804.*

1080 §. XIV. Pœna neglectæ intra tempus, vel non factæ secundum formam præscriptam publicationis, est, uti insinuavi paulò antè, annullatio resignationis, provisionis & cæterorum omnium. Item inhabilitas resignatarii ad illud beneficium etiam de novo obtinendum, ita ut ei non suffragetur possessio etiam decennalis, *Paris. Castrop. Ventrig. Leur. q. 805.* Nec resignans potest repetere beneficium aut agere de spolio, quia spoliavit seipsum omni jure, *Paris. Lott. Luca, Leur. q. 806.* Si tamen possessionem dimiserit, gaudet ipse aut alii reservationibus pensionum, fructuum aliorumve jurium, *Paris. Ventrig. Leur. q. 807.* Beneficia autem ipsa sunt reservata Papæ & censentur à die resignationis factæ vacare in Curia, *Paris. Leur. q. 808.* Possuntque à quovis impetrari; sed specialiter exprimendus est hic modus vacationis, ac nomen & cognomen tam resignantis quàm resignatarii, *Paris. Ventrig. Leur. q. 809.* Et ab allegante, debet concludenter probari neglectam esse publicationem, quia licet factum non præsumatur, tamen si de jure faciendum erat aut fieri consuescat, potest præsumi, *Mascard. Feilin. Paris.* Quod maximè valet, si resignatarius per triennium pacificè possederit, tum enim præsumitur publicasse, *Paris. Garc. Lott. Leur. q. 810.* Quibus autem modis allegans probare debeat neglectam esse publicationem; item quomodo in provisione impetrantis, addi debeat, *vocato possessore*; item quomodo elidi possit intentio Actoris in hac materia; Denique quandonam resignatarius teneatur probare publicationem à se factam esse, exponit *Leur. q. 811. & seqq.*

Ex haftenus dictis de resignatione sequitur, ut resignatio beneficii coram Ordinario facta ejusque collatio & obtentio sit valida, requiri, 1. ut resignans non sit ordinatus titulo beneficii resignandi, vel aliunde habeat, unde vivat. 2. Ut non fiat in favorem nec sub conditione. 3. Ut fiat ex causa. 4. Ut acceptetur ab habente potestatem. 5. Ut providendus sit capax; nec sit consanguineus, affinis vel familiaris resignantis aut conferentis. 6. Ut resignatio publicetur.

Q. 160. Quid in genere dicendum sit de permutatione beneficiorum; & an haec per eam vacent. R. 1081

§. I. Permutatio generaliter sumpta convenit omni contractui, quia semper datur vel permittitur vel fit unum pro alio: sumpta specificè, est contractus, in quo res, prout à pretio contradistinguitur, commutatur cum alia re. Vide *Pirb.* l. 3. r. 19. à n. 1. Permutatio, de qua hic agimus, est reciproca beneficiorum resignatio facta adinvicem inter permutantes. Vide *Leur.* p. 3. q. 815. Nomine autem resignationis ordinariè non venit permutatio, uti diximus n. 953., docentque *Gonz.* *Chok.* *Leur.* q. 817. contra *Sarn.* & *Paris.* Et permutationem esse rem favorabilem dicunt *Mandos.* *Paris.* *Gonz.* *Leur.* q. 818., quamvis q. 855. fateatur eam esse veluti odiosam, quia prohibetur *Cap. Quastum*, de rer. permut., & *Cap. Majoribus*, de præb.

§. II. Quamvis secundum dicta n. 957. multi teneant per resignationem conditionalem non vacare beneficium ante impletam conditionem, tamen in permutatione debere prius vacare, tenent *Paris.* *Castrop.* *Lott.* apud *Leur.* q. 819.: Et licet *Inn.* *Archid.* *Senis*, *Gonz.* dicant admissionem utriusque resignationis esse tacitam collationem, nec requiri aliam expressam, tamen contradicunt *Garc.* *Less.* *Castrop.* 1082